II k 666

Ak 221, 31

DISSERTATIO
DE
# DVBIO LEGITIMATORVM PER RESCRIPTVM PRINCIPIS IVRE IN GERMANIA

QVAM
PRAESIDE
GOTTLIEB WERNSDORFFIO
PHILOS. ET IVRIVM DOCTORE, INSTIT. PROF. PVBL. ORD. CVRIAE PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE FACVLTATIS IVRID. ASSESSORE

DIE XXVI. MARTII A. R S. CIϽIϽCCLXXXXI

*H. L. Q. C.*

DEFENDET
FRIDERICVS GVILIELMVS PETZSCH
MVTSCHENA - MISNICVS.

*VITEBERGAE*
LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-186142-p0001-2

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO

DOMINO

# IOANNI GEORGIO

LIB. BAR. DE SPILLNER

DYNASTAE IN LOGA ETC.

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS INTIMIS, IN SANCTIORE SENATV, QVI REBVS FISCALIBVS PRAEEST

MAECENATI AC PATRONO

PIE COLENDO

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-186142-p0003-3

HVNC

LIBELLVM ACADEMICVM

IN SIGNVM

PIAE AC DEVOTAE MENTIS

TRADIT

EIQVE

SE SVAQVE OMNIA

DEMISSE COMMENDAT

PERILLVSTRI EIVS NOMINI

ADDICTISSIMVS

FRIDERICVS GVILIELMVS PETZSCH.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-186142-p0004-9

# DE
# DVBIO LEGITIMATORVM PER RESCRIPTVM PRINCIPIS IN GERMANIA IVRE.

## §. I.

Veteres Germanos caſtitatis laude floruiſſe, TACITVS [a]) locupletiſſimus teſtis eſt, qui matrimonia apud eosdem ſeuera, et publicatae pudicitiae, nullam veniam fuiſſe, ſcribit. Mirum igitur non eſt, eosdem illud odium, quo eos perſequebantur, qui extra legitimam coniunctionem Veneri litaſſent, et in eos tranſtuliſſe, qui ex hac ipſa impudica maris foeminaeque coniunctione orti eſſent. Hos enim tanquam perpetuos paternae maternaeque turpitudinis teſtes, et foeda familiarum opprobria inſectabantur.



a) TACITVS *de Moribus German.* C. 18.

bantur.[b]) Miſeram certe fuiſſe, liberorum naturalium conditionem, id eſt, eorum, qui extra legitimum matrimonium procreabantur, hosque ipſos, perpetua illegitimae natiuitatis macula laboraſſe, nec aequo, cum reliquis ciuibus iure, vſos eſſe, iura Germanica, medio aeuo collecta, luculenter teſtantur.[c])

## §. II.

Nec vllum apud veteres Germanos, proditum erat remedium, quo liberi illegitimi, legitimorum iura conſequi poterant. Nam ex priſcorum Germanorum placitis, ne matrimonium quidem tantam vim habebat, vt eos, qui ante nuptias procreati eſſent, liberos, legitimos redderet. Nemo enim ſibi iura natiuitatis immutare poterat, ſed eandem ſemper retinebat conditionem, in qua natus eſſet.[d]) Inde liberi extra matrimonium nati, illegitimorum iure cenſebantur, licet parentes poſtea nuptias iuſtas contraxiſſent, vt pluribus in hanc rem adductis legibus, comprobauit Ill. DREYERVS.[e])

## §. III.

Soli igitur liberi ſui, cuique heredes erant, et ſi illi non adeſſent, qui propiore cognationis gradu defuncto iungebantur.[f]) Sui autem liberi ſunt legitimi, quos lex agnoſcit, et qui ex viro et vxore eius naſcuntur.[g]) Sine iuſtis enim nuptiis, nec vir, nec vxor intelligitur,[h]) immo vocabulum, quo Germani matrimonium exprimunt, (*Ehe*) legem denotat,[i]) ideoque legitimam tantum viri mulierisque coniun-

b) IO. GEORG. CRAMERVS *de iuribus et praerogatiua nobilitatis auitae.* C. IV. §. 2.

c) IVS PROV. SAX. L. I. Art. XXXVIII. *Kempen und ir kinder, ſpellude unde alle die unecht geboren ſin — die ſin alle rechtelos.* cf. IVS PROVINC. ALEMANN. C. 410. *ex edit.* BERGER. p. 133.

d) IVS PROV. SAX. L. I. Art. XIV. *Niemant ne mach erwerwen ander recht, wen alſe in angeboren is.* quae verba etiam in IVR. PROV. ALEMANN. C. 392. *ex edit.* BERGERI p. 21. inueniuntur.

e) IO. CARL. HEINR. DREYERVS in *zur Erläuterung der teutſchen Rechte, Rechts-Alterthümer und Geſchichten angewandten Nebenſtunden* p. 257. ſq.

f) TACITVS *de Moribus Germ.* C. 20.

g) *L. 6. D. de his, qui ſui vel alieni iuris.*

h) *§. 12. I. de Nuptiis.*

coniunctionem ſignificat. Nam licet apud Romanos illi etiam legitimi dicerentur liberi, qui per adoptionem legitimorum iura occupaſſent, quippe quibus lex ipſa iura liberorum, ex iuſto matrimonio prognatorum tribuebat, horum tamen liberorum adſcititiorum conditionem, quos lex quidem, non natura nouerat, Germanos ignoraſſe, dubium vix videtur. Cum enim apud eos, TACITO [k]) teſte, ſera eſſet iuuenum venus, eoque inexhauſta pubertas, nec virgines feſtinarentur, eadem iuuenta, ſimilis proceritas, pares validique miſcerentur, pleraque matrimonia prole foecunda erant, nec ſubſidiario liberos quaerendi modo, adoptione ſcilicet, egebant.

## §. IV.

At cum tandem in Germaniam iura Canonica introducerentur, eaque non ſolum tantam vim ſacramento, quod ſub matrimonio latitare credebatur, tribuerent, vt, qui antea geniti eſſent, liberi, poſt contractum matrimonium legitimi haberentur, [l]) ſed et legitimationem per Pontificis Reſcriptum probarent, [m]) denique eam auctoritatem acciperent, vt IVRIS PROVINC. ALEMANN. COMPILATOR non dubitaret, quin ex iisdem omne ius hauriendum eſſet, [n]) paullatim etiam Germanis legitimatio per ſubſequens matrimonium, et per Reſcriptum innotuit; et, quamuis ex veterum morum diſciplina, quam iura feudalia ſequuntur, [o]) naturales liberi tam a paterna, quam materna hereditate arcerentur, [p]) quippe quae ne liberis quidem ex impari matrimonio natis cederet, [q]) tandem liberis illegitimis, ſi parentes eorum ſtupri conſuetudinem vel concubinatum in iuſtas nuptias commutaſ-

i) PAVL. MATTHIAE WEHNERI *Obſ. pract.* voce *Ehe.*

k) TACITVS *de Mor. Germ.* C. 20.

l) C. 6. *X. qui filii ſint legitimi.* conf. IVST. HENN. BOEHMER in *Iure eccleſ. Proteſt.* L. IV. Tit. XVII. §. 22.

m) C. 13. *X. qui filii ſint legit.*

n) IVS PROVINC. ALEM. C. 5. ex edit. BERGERI p. 9. *Aus dem Decret und aus dem Decretal aus den tzwain pūchen nimbt man allew dew recht der man tzu gaiſtlichen und tzu weltlichen rechten bedarf.*

o) *II. Feud. XXVI.* §. 10.

p) IVS PROV. ALEM. C. 164. ex edit. BERGERI p. 124. *Die Kinder, die nicht ehelich geboren ſind, die erben nicht ihren Vatter noch ihr MutterGuth, noch keines ihrer Vordern Guth.* cf. GLOSSAM GERM. AD IVS PROV. SAX. L. I. Art. LI. ex ed. GAERTNERI p. 108.

q) IVS PROV. SAX. L. I. Art. XVII. *Swer*

QK II k 666 X 237 46 92



mutaſſent, ob ſummum matrimonii fauorem, aequalia iura cum iis, qui ex legitimo matrimonio oriuntur, tributa ſunt. Certe IVRIS PROVINCIALIS ALEMANNICI AVCTOR haec dicit: *Hat ain man ain frawen tze lediglichen dingen und er hat chind pey ir ſey wenig oder vil und nymbt er ſy darnach cze rechter Ee was ſy dann kinder mit einander hieten cze der UnEe e das ſy an einannder czw der Ee nemet dew ſind allew ſambt rechtew Eekind und ſy erbent paidew aigen und lehen vom vater und von Muter und von andern iren frewndten als wol als dew chind dew ſy darnach gewinnet ſo ſy an ainander czw der Ee genommen haben,* r) et eadem fere verba in GLOSSA GERMANICA AD IVS PROVINC. SAXON. s) inueniuntur.

## §. V.

Quo tempore autem Germani, liberis per ſubſequens matrimonium legitimatis, aequalia cum legitimis iura conceſſerint, et an haec ipſa ſententia iis iam placuerit, eo tempore, quo REPKOVIVS Ius Prouinciale Saxonum compilaſſe dicitur, eo minus definiri poteſt, quo magis dubium eſt, quo tempore Speculum Saxonicum prodierit, quamuis vero ſimile ſit, illud ipſum Iure Prouinciali Alemannico antiquius eſſe. t) Extant quidem in IVRE PROVINCIALI SAXONICO u) haec verba. *Swer ſo eines Mannes wib behuret offenbare oder wib oder magt notiget, nimt her ſie darnach zu der Ee eheliche kint gewinnet her nimmer by ir,* quae etiam in IVRE PROV. ALEMANN. x) inueniuntur, et ex his plures colligunt, his ipſis, quibus Specula prodiere temporibus, liberos illegitimos, licet acceſſerit deinde parentum matrimonium, ſemper durioris conditionis fuiſſe, quam ii, qui ex iuſto matrimonio procreantur. Immo V. C. KINDIVS y) ad haec ipſa loca prouocat, vt probet, maiores

*Swer ſo dem andern nicht ebenburtig en iſt, deren mag ſin Erbe nicht genehmen.* et in Artic. LI. *Wann ein rechtelos mann muz wol ehelich wib nemen und kindere bi ir gewinnen die ebenburtig ſin, die muzen auch wol ſin Erbe nemen und irer Mutter alſo wenn ſi in ebenburtig ſin.* et Lib. III. Art. LXXI. *Daz eliche kind und vri behäldet ſines vaters ſchilt unde nimet ſin Erbe und der Mutter alſo ob es ir ebenburtig iſt, oder baz geboren.* cf. IVS PROV. ALEM. C. 392. ed. BERGERI pag. 22. et IO. GODOFR. BAVERI Diſſ. *de Succeſſione legitimator. per nuptias exule in feudis.* in *Opuſc.* T. II. p. 104. ſq.

r) IVS PROVINC. ALEM. C. 373. edit. BERGERI p. 247.

s) GLOSSA ad L. I. Art. XXXVII.

t) FRID. CAROL. DE BVRI in *Erläuterung des Lehnrechts* p. 183.

maiores noſtros, Latii iura, circa legitimationem per ſubſequens matrimonium, ignoraſſe, et ob hanc ipſam cauſam, hunc iuris Saxonici articulum, quod ſcilicet iuri Caeſareo et Canonico, legitimationem per pallium probanti, repugnaret, a Pontifice reprobatum eſſe. At cum iurium veterum compilatores, in hoc ipſo loco, non de conditione eorum agant, qui ante nuptias editi ſunt, ſed eorum fortunam definiant, qui poſt contractas iam nuptias, ex matrimonio eius naſcuntur, qui duxit eam, quam per adulterium vel ſtuprum violentum polluit; et in hac ipſa re, priſcarum legum eccleſiaſticarum et Romanarum ſeueritatem ſequantur, quae nuptias inter adulterum et adulteram, raptorem et raptam irritas eſſe iuſſerunt, [z]) quam tamen recentiores Pontificum, inprimis INNOCENTII III. Epiſtolae decretales, ex quibus et adultero licet eam, cum qua adulterium commiſit, [a]) et raptori raptam [b]) legitimo ſibi matrimonio iungere, deſeruerunt: vereor, vt ex hoc ipſo Iuris Prouinc. Sax. textu probari poſſit, iam REPKOVII tempore, legitimatos per ſubſequens matrimonium, aequalia iura cum iis habuiſſe, qui ex legitimo matrimonio orti ſunt. Illud tamen dubio omni caret, iis temporibus, quibus prodiit Ius Prouinciale Alemannicum, liberos ex ſtupro vel concubinatu procreatos, quorum parentes poſtea, illegitimam conſuetudinem in iuſtas nuptias commutaſſent, aequali iure cum liberis, ex legitimo matrimonio oriundis, vſos eſſe. Hoc enim manifeſte probant, ea verba, quae ſupra [c]) ex hoc ipſo Speculo Sueuico, [d]) adtulimus. Indeque paullatim euenit, vt legitimati per ſubſequens matrimonium, non ſolum ad hereditates, ſed ad feuda etiam, diſſuadente licet iuris beneficiarii analogia, vt egregie monuere et DREYERVS [e]) et BAVERVS [f]) in multis Germaniae prouinciis, admitterentur.

§. VI.

u) IVS PROV. SAX. *L. I. Art.* XXXVII.

x) IVS PROV. ALEM. C. 410. *edit.* BERGERI p. 133.

y) IO. CHRISTOPH. KINDIVS, in Diſſ. *de reprobatis Speculi Saxonici articulis,* §. 13.

z) *L. un. C. de raptu virgin. Nouell. CXXXIV. c.* 12. *C.* 1. *et* 3. *Cauſ. XXXI. Qu. I. C.* 6. *X. qui filii ſint legitimi.*

a) *C.* 6. *X. de eo, qui duxit in matrim. quam polluit per adult.*

b) *C. vlt. X. de Raptor.*

c) *§. IV.*

d) IVS PROVINC. ALEMANN. C. 373. ex edit. BERGERI p. 247.

e) DREYERVS in *Nebenſtunden* p. 275.

f) IO. GODOFR. BAVERVS in Diſſ. *de*



*Suc-*

## §. VI.

At licet in hac re, Germani, religione ſacramenti, quod ſub matrimonio latere videbatur, moti, iura canonica ſequerentur, et eos liberos tandem legitimos cenſerent, quos pater, matrem eorum ducendo, ſuos liberos eſſe declaraſſet, ſerius tamen eos, quos Pontifex vel Princeps, in legitimorum liberorum numerum retuliſſet, ad legitimam ſucceſſionem admiſerunt. Diſertis enim verbis negant, et AVCTOR IVRIS FEVDALIS VETERIS, quisquis ille ſit, quem V. C. ZEPERNICKIVS primum typis excudendum curauit, [g]) et COMPILATOR IVRIS PROVINCIALIS ALEMANNICI, ius eſſe Pontifici vel Caeſari, ſpuriis iura legitimorum eum in finem tribuendi, vt legitimis heredibus hereditatem eripiant. Ille enim his verbis vtitur: *Weder der babiſt noch der keiſir die ne mugin von ir mutwillin von eime unechtin kinde einen echtin ſun nicht gemachin. wande ſe mit in die echtin ſune unde die erbin irs erbis roubitin.* [h]) Hic autem ſcribit: „*Ekind mag der unehelich man nimmer gewinnen, gewinnet ain man ainen ſun unehelichen, den mag der pabſt wol cze ainen Ekind machen und auch der kayſer nach ſeinem recht, als wir hernach wol ſagen. aber weder der pabſt noch der kayſer mügent im daz recht nimmer gegeben, daz ſy irer mang gut mügen geerben als ob ſy von irer muterleib Ekind wärn geweſen. aber gewinnet ſy Ekind die erbent ir mang wol, ob ſy tze Ekindern ſind gemacht als hievor geſprochen iſt*" [i]) et, „*Der pabſt und der Kayſer machent auch wol unehelichew chind cze ekinden nach irem rechten, ſy erbent aber irer freundt gut nicht, als es auch vor an dieſem puch iſt geſchriben.*" [k])

## §. VII.

Haec cum ita ſint, in eo omnes fere conſentiunt iuris Germanici interpretes, maiorem eſſe vim ac poteſtatem eius legitimationis, quae per

. *Succeſſione legitimatorum per nuptias exule in feudis.*

g) CAROL. FRID. ZEPERNICKIVS in *Miſcellaneen zum Lehnrecht*, T. I.

h) *Buch von dem Lehnrecht* C. XXXII. apud ZEPERNICKIVM in *Miſcellaneen* T. I. p. 49.

i) IVS PROVINC. ALEMANN. C. 371. ex edit. BERGERI p. 71.

k) IVS PROV. ALEM. C. 373. ex edit. BERGERI, p. 248.

l) ANDR. GAILIVS in *Obſ. pract.* L. II. Obſ. 140. et 141. IO. HENR. BERGERVS in *Oec. Iur.* L. II. Tit. IV. Th. 37. GEORG. BEYERVS in *Delineat. iur. ciu. ſec. Inſtit.* L. III.

per ſubſequens matrimonium fit, quam illius, quae ex Reſcripto Principis originem trahit. [l]) Illa enim legitimatis, in omnibus negotiis, et in omni fere ſucceſſione, iura legitimorum tribuit, haec autem tum demum, ſi Princeps voluerit, nec ius tertii cuiusdam hoc impediat. Primarius enim finis legitimationis per Reſcriptum Pontificis, ex placitis iuris Canonici, quod hanc ipſam legitimationis ſpeciem in Germaniam introduxiſſe videtur, [m]) hic eſt, vt macula, quam ex illegitima coniunctione procreati, ex hac ipſa natiuitate traxiſſe videntur, eluatur, ipſisque aditus ad munera atque honores aperiatur. Arcebantur ſcilicet ſpurii et omnes, qui extra legitimum thorum procreati erant, ex recentioris iuris Canonici placitis, quod in hac re a veterum patrum diſciplina, qui vitia parentum filiis non obeſſe cenſebant, [n]) receſſerat, a dignitatibus eccleſiaſticis et actibus ſpiritualibus. [o]) Neceſſarium igitur erat, vt iidem, ſi ad dignitates promoueri cuperent, diſpenſationem a ſede Apoſtolica impetrarent, [p]) vel quod idem eſt, ad actus ſpirituales legitimarentur. [q]) Traxerat enim ius Canonicum, de quo Germani, inter quos REGINONEM PRVMIENSEM, et BVRCHARDVM WORMATIENSEM nominaſſe ſufficit, bene meruerant, aliquid ex moribus Germanorum, penes quos ſpuriorum et naturalium liberorum conditio, longe deterior erat, quam apud Romanos. Nam cum apud Quirites ſpurii honoribus quibusuis fungi poſſent, apud Germanos a muneribus et beneficiis repellebantur, immo ſeruilis conditionis et infames habebantur, [r]) indeque priuilegio opus erat, ſi iidem dignitates honoresque ambirent. Quod ſi hoc impetraſſent, in obeundis muneribus legitimi cenſebantur, et aequali, cum reliquis ciuibus, qui ex iuſto matrimonio orti erant, iure vtebantur. Haec igitur miſera hominum, ex illicita venere oriundorum conditio, legitimationem per Reſcriptum in Germaniam introduxit. Nam qui ec-

cleſiaſti-



L. III. p. 151. ERNEST. FRID. SCHRUETER in Diſſ. de *Legitimatione*. AVG. A LEYSER in *Med. ad Pand.* Spec. XIX. Med. 4.

m) CHR. THOMASIVS in Diſſ. *de Vſu practico doctrinae Inſtitut. de legitimatione.* C. 2. et IVST. HENN. BOEHMERVS in *Iure Eccleſ. Proteſt.* L. IV. Tit. XVII. §. 19.

n) C. 3. 4. 5. 6. *ſq. Diſtinct. LVI.*

o) C. 1. 15. *et* 18. *X. de filiis Presbyter.* cf. BOEHMERVS in *Iure Eccleſiaſt. Proteſt.* L. I. Tit. XVII.

p) C. 18. *X. de filiis Presbyter.*

q) C. 13. *X. qui filii ſint legitim.*

r) Ill. GEORG. STEPH. WIESANDIVS, in Prol. de *Conditione ſpuriorum recte aeſtimanda*, in Opuſc. p. 263. ſq.

cleſiaſtica munera ambibant, ad actus ſpirituales a ſummo Romanorum Pontifice legitimabantur,[s]) et qui reipublicae muneribus praefici cupiebant, a rege vel Imperatore ſacros codicillos impetrabant. Hunc enim et infami ea munera mandare potuiſſe, quae ex lege et conſuetudine, tantum a viris integrae famae et honeſtis natalibus oriundis obeuntur, eo minus dubium videtur, quo certius eſt, ex iuris beneficiarii diſciplina, iure carentes et in fornicatione natos, omneſque qui non ſunt ex homine militari, ex parte patris eorum et aui, iure caruiſſe beneficiali, nihilo ſecius tamen domino licuiſſe, vt vni iſtorum beneficia concederet.[t]) Ex hoc autem patet, legitimationem minus plenam, quae illegitimae natiuitatis maculam tantum tollit, iura vero ſucceſſionis non tribuit, prius apud Germanos receptam eſſe, quam plenam, quae ex lege IVSTINIANI nata, illegitimis, quos Princeps legitimos eſſe iuſſit, omnia ea iura impertitur, quibus vſi eſſent, ſi ab initio, id eſt, primo, quo nati ſunt, tempore, legitimi fuiſſent.[u]) Ius enim minus plene legitimandi, Pontifici ac Caeſari concedunt, IVRIS FEVDALIS VETERIS[x]) et IVRIS PROVINCIALIS ALEMANNICI[y]) AVCTORES, qui tamen diſertis verbis negant, per Reſcriptum legitimatos, iura eorum, qui ex lege et ordine cognationis ſucceſſuri ſunt, interuertere poſſe.

§. VIII.

s) *C. 13. X. qui filii ſint legitimi.* Sic CHRONICON MONTIS SERENI in IO. BVRCH. MENCKENII *Scriptor. Rer. German.* T. II. p. 217. refert, Pontificem INNOCENTIVM III. A. MCCI. TIDERICVM Merſeburgenſem, *qui pro eo, quod non erat de legitimo matrimonio natus, non videbatur ſine licentia ſummi Pontificis poſſe promoueri*, legitimaſſe, et vt conſecrationem ab Epiſcopo Hildesheimenſi acciperet, praecepiſſe.

t) AVCTOR VETVS DE BENEFICIIS C. 1. §. 4. BUCH VON DEM LEHNRECHT C. 1. apud ZEPERNICKIVM in *Miſcellan.* T. I. p. 2. IVS FEVDAL. SAX. C. 2.

u) *Nouell. LXXXIX. c. XI. in fine.*

x) BUCH VOM LEHNRECHT C. XXXI. in ZEPERNICKII *Miſcellaneen* T. I. p. 49.

y) IVS PROVINC. ALEMANN. C. 371. edit. BERGERO p. 71. et C. 373. p. 248.

z) CHR. THOMASIVS in Diſſert. laud. C. II. §. 2.

a) GEORG. BEYERVS in Progr. *de iure Perſonarum ex Iure Germ.* in *Opuſcul.* p. 323. IO. RVD. ENGAVIVS in *Elem. Iur. Germ.* L. I. §. 257.

b) *Der mehrgenannte — ſoll und mag auch Mann und Weibsperſonen, — ſo auſſerhalb der h. Ehe geboren, ſie ſeynd gleich von ledigen, einer oder zweyen ehlich verheyratketen, zu nahe geſippten, befreundten*

## §. VIII.

Primarium autem finem legitimationis per Reſcriptum Principis, ex noſtris etiam moribus eum eſſe, vt illegitimae natiuitatis macula auferatur ab iis, qui, ex illegitima parentum coniunctione, notam quandam traxiſſe videntur, iam monuere THOMASIVS [z]) et alii, [a]) et luculenter id probant ea verba, quae in ſacris Codicillis occurrere ſolent, quibus vel Imperator, vel eiusdem Vicarii, Comitibus Sacri Palatii, ius legitimandi eos, qui ex illegitimis maris foeminaeque complexibus oriuntur, tribuunt. [b]) Indeque recte colligit THOMASIVS [c]) doctrinam de legitimatione, quae in foris noſtris obtinet, non ex regulis iuris Romani, quod minus plenam legitimationem ignorauit, et eos, qui per ſacrum Principis oraculum, iura legitimorum liberorum conſecuti ſunt, in nulla re a legitimis differre, immo aequalia, cum caeteris ab initio legitimis, iura habere iuſſit, [d]) ſed ex iuris Canonici placitis, quod multa a principiis iuris ciuilis ſecedentia tradidit, [e]) et ius legitimandi mirum in modum auxit, et augendo fere corrupit, [f]) aeſtimandam diiudicandamque eſſe.

## §. IX.

Differt enim ius Canonicum, in pluribus rebus, quae ad doctrinam de legitimatione per Reſcriptum pertinent, a iure ciuili, nec eas



vbique

*ten oder verſchwägerten Perſonen, oder aus andern in Rechten verbothenen Vermiſchungen — erzeuget, legitimiren und ehrlich machen, und mit denſelbigen ihrer unſchuldigen Macul und Vermailung oder unehelichen Geburth halber diſpenſiren, ſolche Macul und Vermailung gantz aufheben, vertilgen, abthun, und ſie in die Ehre und Würde des ehelichen Standes ſetzen und erheben, alſo daß denen, ſo wie obſtehet, von ihm geehligt und legitimirt werden, ſolche ihre uneheliche Geburth, weder inner noch auſſerhalb Gerichts, noch ſonſten, in keine andere Weiſe, zu einiger Unehr, Schmach oder Vorwerfung vorgehalten, noch ſie deren in einigen Handlungen oder Sachen, im geringſten nicht entgelten, ſondern an allen Orten und Enden für ehelich gehalten, geſprochen, erkennet, und zu allen Ehren, Würden, Geiſt- una Weltlichen, bürgerlichen und andern Aemtern, Ständen, Zünften und Handwerkern, wie andere, ſo von Vater und Mutter ehelich gebohren ſeyn, angenommen und zugelaſſen werden.* Vide SAM. STRYCKII *Uſum modern. Pandect.* L. I. Tit. VI. §. 15.

c) CHR. THOMASIVS in Diſſ. laud. C. II.

d) *Nouell. LXXXIX. C. IX. et XI.*

e) IVST. HENN. BOEHMER. in *Iur. Eccl. Proteſt.* Lib. IV. Tit. XVII. §. 2.

f) IO STRAVCHIVS in Diſſ. *ad Cap. Per Venerabilem X. qui filii ſint legitimi* § 16. in *Diſſertt. Canon.* p. 91.

vbique regulas ſeruat, quas in hac ipſa, quae per ſacrum oraculum fit, legitimatione, praeſcripſit IVSTINIANVS. Hic enim, qui ſe legitimandi naturales modum, per Reſcriptum Principis, primum inueniſſe gloriatur, [g]) et cui hanc ipſam inuentionis laudem tribuendam cenſet HILLERVS [h]) in fauorem patris, qui filios naturales legitimos efficere cuperet, nec tamen eorum matrem matrimonio ſibi iungere poſſet, ſanciuit, vt precibus a patre Imperatori oblatis, liberi naturales legitimorum iura per ſacrum Principis oraculum conſequi poſſent, [i]) ſed cauit ſimul, vt haec natalium reſtitutio, in naturalibus tantum liberis locum haberet, id eſt, iis, qui ex concubina, inter quam et iuſtam vxorem, excepta dignitate nihil intererat, [k]) et in quam et adulterium committebatur, [l]) nati eſſent, non vero in iis, qui ex nefariis, vel inceſtis, vel damnatis complexibus, prodiiſſent [m]) et tum demum procederet, ſi quis nullos omnino legitimos, ſed naturales tantum liberos haberet, horum autem matrem, caſu aliquo impeditus, ducere non poſſet, [n]) denique iuſſit, vt naturales liberi non inuito patre, et non conſentiente, ſed vel ad preces eius Imperatori oblatas, vel ſi is in teſtamento ſcripſiſſet, ſe velle vt liberi legitimi eſſent, ſibique ſuccederent, legitimorum iura conſequerentur. [o]) At ex iuris Canonici placitis, per Reſcriptum, non naturales tantum liberi, iura legitimorum conſequuntur, ſed et adulterini, [p]) immo et ii, qui ex alio damnato legibusque prohibito coitu naſcuntur. Pontifices enim ſibi plenam, id eſt illimitatam, nullisque legibus vel vinculis adſtrictam poteſtatem, legitimandi ſumſerunt, et illegitimos, non conſentientibus patribus, ſaepius ad actus ſpirituales legitimos fecerunt, id eſt, ab ea macula liberauerunt, quam ex illegitima natiuitate traxiſſe videbantur. [q]) Ex iure Romano potior legitimationis cauſa, haec erat, vt pater patriam poteſtatem in liberos naturales adquireret, [r]) indeque Romanis legitimatio tantum plena cognita, quae legitimatis per Principis Reſcriptum,

g) in *Nouell. LXXIV. Cap. I.* et *Nouell. LXXXIX. C. 8.*

h) CHR. HENR. HILLERVS in Diſſert. *qua legitimatio per Reſcriptum Principis Iuſtiniano Imp. tanquam auctori atque inuentori vindicatur.*

i) *Nouell. LXXIV. Cap. II.*

k) *L. 13. §. 4. D. de Legat. III.*

l) *L. 13. D. ad Leg. Iuliam de Adulter.*

m) *Nouell. LXXXIX. C. IV.*

n) *Nouell. LXXIV. Cap. IV.* et *Nouell. LXXXIX. C. IX.*

ptum, omnia iura filiorum legitimorum tribuit, eosque, niſi ex teſtamento patris, accedente Principis conſenſu, legitimatio fiat, in patriam patris naturalis poteſtatem redigit. Ex iure autem canonico, legitimati per Pontificis Reſcriptum, non in omnibus rebus, ſed in certis tantum cauſis, praeſertim in muneribus eccleſiaſticis obeundis, iure legitimorum cenſebantur. Cum autem is, qui in ſpiritualibus diſpenſaretur, ob ſummam Pontificis auctoritatem, et in temporalibus diſpenſatus videretur, praeſertim in patrimonio beati Petri, in quo Papa et ſummi Pontificis auctoritatem exercebat, et ſummi Principis poteſtatem exequebatur:[s]) legitimatio, quae per Reſcriptum fit, in plenam et minus plenam diuidi coepit. Plena autem dicitur, quae legitimato, in omnibus negotiis, iura legitimi tribuit, minus plena, quae maculam tantum illegitimae natiuitatis tollit, et viam ad munera et honores aperit.

## §. X.

Haec iuris Canonici placita, cum vſus fori ſequatur, et ex moribus noſtris, omnes liberi naturales, cuiuscunque generis ſint, licet ex coniunctione, quam leges vetant, oriantur, non naturales tantum, id eſt ex concubina nati, quos cum omnis extra nuptias concubitus, legibus vetitus ſit,[t]) vix habemus, per Principis Reſcriptum iura legitimorum conſequi poſſint, eaque ſaepius, non conſentiente patre, accipiant, denique iuris Iuſtinianei cautiones, ne ſcilicet per ſacrum oraculum legitimatio procederet, ſi mater liberorum commode duci poſſet, vel liberi ex iuſto matrimonio nati adeſſent, ſecure negligantur; recte docent ii, qui exiguum hodie iuris Iuſtinianei vſum in doctrina de legitimatione eſſe affirmant, praxinque fori ex principiis iuris Canonici et moribus Germanorum explicandum eſſe cenſent.[u])

§. XI.

o) *Nouell. LXXIV. Cap. II. et Nouell. LXXXIX. Cap. IX. et X.*

p) *C. 13. X. qui filii ſint legitimi.*

q) BOEHMERVS in *Iure eccleſ. Proteſt.* L. IV. Tit. XVII. §. 30. ſqq.

r) GEORG. BEYERVS in Prol. cit. p. 323.

s) *C. 13. X. qui filii ſint legitimi.*

t) ORDIN. POLITIAE AVGVST. de Ao. MDXXX. Tit. XXXI. et ORDIN. POLITIAE FRANCOFVRT. de Ao. MDLXXVII. Tit. XXVI.

u) THOMASIVS in *Diſſ. laud.* C. II. et

BOEH-

## §. XI.

Quamuis autem Saeculo XIII. quo AVCTOREM IVRIS FEVDALIS veteris, et COMPILATOREM IVRIS PROVINCIALIS ALEMANNICI vixiſſe, plerique cenſent, Germani putarent, Principis Reſcripto iura eorum, qui ab inteſtato ſucceſſuri ſunt, interuerti non poſſe, iisdem tamen iam temporibus Germanorum reges, liberis illegitimis, et intuitu ſucceſſionis iura legitimorum tribuiſſe, ex GOLDASTO, et HISTORIA DE LANDGRAVIIS THVRINGIAE conſtat. GOLDASTVS enim nobis ſeruauit Reſcriptum CONRADI IV. in quo hic, legitimatis ab ipſo, ad patris preces *ex plenitudine poteſtatis* ius conceſſit, *vt tanquam legitimi et de legitimo thoro nati, in bonis paternis et maternis, quae feudalia non eſſent, ſuccederent, et ad omnes actus publicos et ciuiles honores, ſi ſe caſus ingeſſerit, admitterentur, et in omnibus aliis ſuam libere proſequi valerent actionem, obiectionem prolis illicitae in poſterum quieſcente, et lege aliqua non obſtante, et ea praecipue, quae legitimari ſpurios, niſi ex certa ſcientia non permittit.* x) In HISTORIA autem DE LANDGRAVIIS THVRINGIAE haec leguntur: *Anno MCCLXXXVII. adhuc durante diſcordia inter Albertum Landgrauium Thuringiae et filios ſuos, venit Rudolphus rex ad Thuringiam, et pacificauit eos. Tamen pace non obſtante, Albertus dolens de malis a filiis ſuis illatis, volens eos exhaereditare, vocauit filium ſuum Albertum, de concubina ſua, ſcilicet Kunne de Yſenberg, quem legitimari ſibi fecit, et dedit ei caſtra, Teneberg, Brandeberg, Braytenbach, Brandenſels, Wildencke, cum aduocatiis ad eadem caſtra pertinentibus. Et plura alia dediſſet ei in damnum filiorum ſuorum legitimorum, ſi domini terrarum non obſtitiſſent.* y)

## §. XII.

Sed ſerius Germanis haec, quae per Reſcriptum Principis fit legitimatio, plena ſcilicet, quae non maculam tantum natiuitatis tollit, ſed illegitimis etiam iura ſucceſſionis tribuit, placuiſſe videtur. Nec hoc ipſum mirari debemus. Omnis enim vis huius legitimationis ex arbitrio

BOEHMER. in *Iure eccleſ. Proteſt.* L. IV. Tit. XVII. §. 29.

x) MELCH. GOLDASTVS in *Conſtitut. Imper.* T. III. p. 398.

y) *Hiſtoria Erphesfordenſis de Landgrauiis Thuringiae.* C. LXXIII. *in* IO. PISTORII *Scriptor. Rer. Germ.* T. I. p. 1334.

z) CHR. GOTTLOB BIENERVS *de Natura*

bitrio Principis pendet. Apud Germanos autem, libertatis ſuae paullo tenaciores, regum poteſtas nunquam infinita fuit, nec id, quod Principi placuit, legis vigorem habuit, recteque docet *V. Conſ.* BIENERVS,*) quantacunque imperent reges Germanorum poteſtate, legibus tamen nunquam ſolutos eſſe, ſed publico priuatoque iure teneri. Cum autem tandem Iura Romana, quibus Imperatores Romano Germanici, inde a FRIDERICI I. temporibus, quod illa Maieſtatis Caeſareae ſuſtentacula eſſe, et ex illis dominium totius orbis ſibi vindicari poſſe, viderent, impenſe fauebant,[a]) in fora Germaniae introducerentur, et Iureconſulti, principiis huius iuris imbuti, illud, quod Principi placuit, legis vigorem habere,[b]) ſaepius cenſerent, denique odium, quo Germani olim liberos, ex illegitima coniunctione natos, proſequebantur, quos iam ſaepius ex Principis vel Pontificis diſpenſatione, ſummis in vtraque republica honoribus auctos videbant, paullatim decreſceret: liberi etiam illegitimi, ſi a Principe ius ſuccedendi, diſertis verbis accepiſſent, ad parentum hereditatem admiſſi ſunt, dummodo ipſe pater id voluiſſet, et in hanc ipſam cauſam Principi preces obtuliſſet. Quamuis enim hac ipſa re, ius eorum, qui patri ab inteſtato ſucceſſuri erant, cognatorum, laedi videretur, hi ipſi tamen, cum in bonis eius, qui illegitimos filios procreauit, eo ipſo viuente, ius nullum haberent, ille autem de bonis acquiſitis libere diſponere, pactoque heredem ſibi querere poſſet,[c]) de iniuria illata ſibi conqueri non poterant. Iniquum enim non eſt, vt is hereditatem nanciſcatur, quem et defunctus ſibi heredem eſſe voluit, et quem Princeps, penes quem ius ferundarum legum eſt, hac ipſa hereditate non indignum cenſuit.

## §. XIII.

At cum haec ratio non adſit, ſi quis illegitimus, non conſentiente patre, legitimi filii iura, per Reſcriptum Principis occupauerit, neminique inuito ſuus haeres adgnaſcatur;[d]) manifeſti iuris eſt, legitimatum

*tura et indole dominii in territoriis Germaniae.* C. I. §. 2.

a) V. SILBERRADII notas ad HEINECC. *Hiſt. iur.* L. II. C. III. p. 815.

b) *L. 1. pr. D. de Conſtit. princ.*

c) IO. GOTTL. HEINECCII *Elem. Iur. Germ.* L. II. Tit. VI. §. 150. ſq.

d) *§. 7. I. de Adopt.*

timatum per Principis Reſcriptum, niſi pater principi preces obtulerit, vel eundem filium ſibi legitimum eſſe voluerit, (quod voluiſſe videtur, ſi poſteaquam reſciuit, a Principe, filio legitimae natiuitatis iura tributa eſſe, hanc rem ſibi gratam ratamque eſſe declauerit, filiumque pro legitimo habuerit, [e]) ne ad patris quidem hereditatem adſpirare, nec iura eorum heredum, qui patri ab inteſtato ſucceſſuri ſunt, interuertere poſſe, et hunc ipſum legitimatum, legitimationem tantum minus plenam conſecutum eſſe, quae eidem ea quidem iura tribuit, quibus reliqui ciues, ex iuſtis nuptiis oriundi, vtuntur, non autem ſucceſſionis iura impertitur. [f]) Quare dubium non eſt, filium naturalem, qui poſt patris demum mortem, qui eundem naturalem eſſe voluit, Principem adit, ſuisque precibus efficit, vt legitimi filii iura conſequatur, diſſentientibus reliquis patris cognatis, ad quos, ſimulac is, de cuius hereditate queritur, moriatur, hereditas ex lege venit, nec ad iura ſibi tributa prouocare, nec vt iisdem praeferatur, petere poſſe. [g]) His enim ius quaeſitum, ipſis inuitis et non conſentientibus adimi, ſine iniuria non poteſt, [h]) nec principum moris eſt, beneficia in alterius iniuriam tribuere. [i])

## §. XIV.

Patri igitur, ſi id velit, Principsque conſenſerit, liberos naturales, legitimos heredes, in iis bonis eſſe, in quibus patri libera diſpoſitio competit, ambigi non poteſt, praeſertim ſi nulli adſint liberi, ex iuſto matrimonio oriundi, qui alias ipſo iure heredes ſunt, immo viuo patre domini quodammodo eſſe videntur. [k]) Reliqui enim, qui ab inteſtato ſucceſſuri ſunt heredes, de iniuria ſibi illata queri non poſſunt, cum ex iure, quo vtimur, quiuis ſibi heredem, quem velit, ſcribere

e) SCHWEDERVS in *Diſſ. laud.* §. 27.

f) ANDR. GAILIVS in *Obſ. pract.* L. II. Obſ. 142. n. 6. HENR. HAHNIVS *ad Weſenbeccium* L. I. Tit. VI. p 74. BERGERVS in *Oec. Iur.* L. II. Tit. IV. Th. 37. SCHWEDERVS in Diſſert. cit. §. 27. IO. HENR. HARTLEBEN in Diſſ. *de Legitima liberorum* §. 12.

g) BENED. CARPZOVIVS in *Defin. for. P. II. Conſt. VI. Def.* 27. SAM. STRYCKIVS in Tr. *de Succeſſion. ab inteſt. Diſſ. I. C. II.* §. 75.

h) IO. VOETIVS in *Comment. ad Pand. Lib. XXV. Tit. VII. n.* 14. *et. Lib. XXXVIII. Tit. XVII. n.* 10.

i) *L.* 4. *C. de Emancip. lib.*

bere poſſit, dummodo iis, quibus legitima debetur, eandem non prorſus adimat, vel imminuat. At, an legitimati per Principis Reſcriptum, ſi adſint liberi ex iuſto matrimonio prognati, aequale cum his ius habeant, et cum iis ſimul ad paternam hereditatem admittantur? anceps omnino quaeſtio eſt. Haec, ſi leges Iuſtiniani tantum ſpectes, facile ſolui, ſed ſi ad mores noſtros, qui etiam iam extantibus legitimis, naturales ad legitimorum iura admittunt, et ad iuris veteris Germanici placita, quod Principis reſcripto, ius eorum, qui ex lege ſuccedunt, heredum, inuerti poſſe negat, reſpicias, in vtramque partem diſputari poteſt. Ex lege enim IVSTINIANI, [l]) naturales, ſi liberi ex iuſto matrimonio nati iam adſint, iura legitimorum, per Principis Reſcriptum, non conſequuntur, et hanc ipſam ob cauſam, legitimorum filiorum iura imminuere nequeunt, ſin autem naturales legitimorum iura iam conſecuti ſint, et poſtea, ex nouo, quod pater iniit matrimonio, legitimi liberi naſcantur, eorum ius horum natiuitate non imminuitur, ſed legitimi facti, cum iis, qui ex iuſtis nuptiis procreantur, paria iura habent. [m]) Nam nec anterioribus liberis fortuitus caſus aliquid derogare poterit, [n]) nec nouum eſt, vt, quae ſemel vtiliter conſtituta ſunt, durent, licet ille caſus extiterit, a quo initium capere non potuerunt. [o]) At cum ex moribus noſtris, extantibus licet liberis legitimis, naturales per Principis Reſcriptum, contra iuris Romani regulas, legitimi fiant, variae ſunt de hac ipſa quaeſtione virorum doctorum opiniones. Alii enim, quibus iniquum videtur, Principis facto, ius eorum, qui ab initio fuere legitimi, minui, negant, his legitimatis ius ſuccedendi in fraudem eorum, qui ex iuſto matrimonio orti ſunt, tribui poſſe, [p]) et haec ipſa ſententia priſcis Germanorum legibus optime conuenit. Sanciuerat enim ROTHARIS Rex Longobardorum,



k) *L.* 11. *D. de lib. et poſth.*

l) *Nouell. LXXIV. C. I.* et *Nouell. LXXXIX. C. IX. et. XI. ʃ.* 1.

m) ANDR. GAILIVS in *Obſ. pract. L. II. Obſ.* 142. *n.* 5. IO. HARPPRECHT in *Comment. ad pr. Inſt. de Heredit. quae ab inteſt. n.* 290. *ſqq.* SAM. STRYCKIVS in Diſſ. *de Succeſſ. ab inteſt. Diſſ. I. C. II. ʃ.* 72. IO. VOETIVS in Comm. *ad Pandect. Lib. XXV. Tit. VII. n.* 14. IO. BRVNNEMANN. ad *Tit. C. de Suis et legitim. lib.*

n) *L.* 11. *C. de natur. liber.*

o) *L.* 85. *pr. D. de Reg. Iur.*

p) GEORG. ADAM. STRVVIVS in Diſſ. *de Morte.* S. III §. 29. PETR. GVDELINVS *in iure nouiſſimo. L. I. C. XV.*

rum, [q]) *nulli ſit licentia, naturales ſuos filios aequales legitimis filiis aut conſimiles facere, niſi filii legitimi, poſt completam legitimam aetatem, patri conſenſerint.* Alii autem, qui Principis auctoritati quicquam detrahere nefas ducunt, et Principis voluntatem pro lege habent, legitimatis per Principis Reſcriptum, aequalia iura cum iis, qui ab initio legitimi fuere, tribuunt. [r]) Sed plerique, [s]) mediam ſententiam ſequuntur, et hanc ipſam legitimationem iis, qui eandem impetrauerunt, in fraudem liberorum legitimorum, ſucceſſionis iura tribuere negant, niſi Princeps, ſciens iam legitimos adeſſe, naturales diſertis verbis, ex plenitudine poteſtatis, legitimos eſſe iuſſerit, quam legitimationem, cum clauſula *Non obſtantibus legitimis* appellant. [t]) Reſcriptum enim, quo Princeps illegitimis legitimorum iura tribuit, vitio ſub et obreptionis laborare dicunt, ſi Princeps legitimos liberos iam adeſſe ignorauerit, [u]) cum Princeps in alterius iniuriam beneficia tribuere non ſoleat, [x]) eundem autem, ſi ſciuerit ex iuſto matrimonio liberos adeſſe, horum ius non ſuſtuliſſe, ſed ius quaerendum tantum reſtrixiſſe, liberisque naturalibus in iis tantum bonis, quae pater, cui voluiſſet, relinquere potuiſſet, ſucceſſionis iura tribuiſſe, ſatis ſubtiliter docent, [y]) ideoque in hac ipſa cauſa, filiis ab initio legitimis, eam hereditatis partem, quam leges liberis ſaluam eſſe iubent, integram deberi, in reliqua autem hereditate legitimatos cum iis, qui ex iuſtis nuptiis procreati ſunt, aequalia iura habere cenſent. [z]) Nec negari poteſt, hanc ipſam ſententiam moribus noſtris, qui patri, dummodo liberis iuſtis legitima ſalua ſit, liberam de bonis ſuis diſponendi poteſtatem concedunt, nec, vt reliquum patrimonium in eos, qui nullo cognationis vinculo ſibi iunguntur, transferat, vetant, bene conuenire. Indeque is fere Principis

q) LEX LONGOBARD. *Leg. Rotharis VIII. Tit. LVIII.* in BASIL. IO. HEROLDI *Origin. et Antiquit. Libr.* p. 174.

r) ERNST. FRID. SCHROETER in Diſſ. *de Legitimatione.* S. III. §. 12.

s) ANDR. GAILIVS in *Obſ. pract. L. II. Obſ.* 142. *n.* 7. *ſq.* SAM. STRYCKIVS in Diſſ. *de Succeſſ. ab inteſt. Diſſert. I. C. II.* §. 74. GEORG. BEYERVS in *Delineat. iur. ciu. ſec. Inſt. L. III. de Succ. ab inteſt. n.* 43.

t) SAM. STRYCKIVS in *Annott.* ad LAVTERBACHII *Compend. L. I. Tit. VI. p.* 44.

u) HENR. ZOESIVS in Comm. *ad Digeſta L. V. Tit. II. n.* 15.

x) *L. 4. C. de emanc. liber.*

cipis maieſtatem minuere videtur, qui ab hac communi ſententia recedere, et cum priſcis iuris feudalis veteris et Iuris prouincialis Alemannici auctoribus, ea iura legitimatis negare vellet, quae Princeps iisdem ex plenitudine poteſtatis liberaliter conceſſit, cum haud iniquum videatur, eum defuncto ſuccedere, quem et is, de cuius hereditate queritur, legitimum ſibi heredem eſſe voluit, et Princeps iuſſit.

## §. XV.

Sed quamuis haec ratio, in definienda quaeſtione, quatenus legitimatus patri ſuccedat, locum habeat, eadem tamen adplicari nequit, ſi de eo diſputetur, an filius naturalis, qui patre id petente, a Principe iura legitimi conſecutus eſt, cognatis paternis ab inteſtato ſuccedere poſſit, ſi hi ipſi in eius legitimationem non conſenſerint, immo ſaepius eandem factam eſſe ignorauerint. Nam eos, qui patri cognatione iunguntur, voluiſſe, vt legitimatus ipſis legitimus heres ſit, ſtatui nullo modo poteſt. Mirum igitur non eſt, in dirimenda hac lite, Iuris interpretes varias ſententias ſequi, aliosque legitimatos ad collateralium ſucceſſionem vocare, alios autem eosdem ab hac ipſa prorſus repellere. Haec lis autem non eos ſolum exercuit, qui iura, quibus in Germania vtimur, tradiderunt, ſed eos etiam, qui omnem vim ac poteſtatem legitimationis, ex legibus Romanis definiuerunt. Horum enim plures, auctoritate forſan HARMENOPVLI,[a]) Graeci interpretis, qui tamen, cum Saeculo p. C. natum XIV. viueret, a Iuſtiniani temporibus nimis remotus videtur, moti, docent, legitimatum per Reſcriptum Principis, patri tantum legitimum fieri, non eis, qui patri cognationis vinculo iunguntur, denique vt firment hanc ſententiam ad *L. 9. C. de natural.*



y) ANDR. ALCIATVS in Comment. *ad L. Gallus 29. §. Et ſi quid tantum n.* 141. IO. HENR. BERGERVS in *Elect. Iur. crimin. p.* 358. et in *Reſolut. Legum obſtant.* L. I. Tit. VI. Qu. 8.

z) IO. HENR. BERGERVS in *Reſolut. Legum obſt.* L. I. Tit. VI. Qu. 8. CASP. THEOD. SVMMERMANN. in *Praxi Pandect.* L. I. Tit. VI. §. 58. GABR. SCHWEDER in Diſſ. *de iure liberorum inſcio vel non conſentiente patre legit.* §. 18. GEORG. ADAM. STRVVIVS in *Syntagm. Iur. ciu.* Exerc. III. §. 55.

